

Ludovicus Hungariae et Bohemia rex,  
Sigismundo primo regi Poloniae.

91  
Serenissime princeps patrie noster charissi-  
me. Scripta iam et obsignata erant alia  
litera nostra, quas de prorogandis induci-  
is ad vestram maiestatem dedimus, cum  
illustris dominus magister Prussia super-  
venit, nosque magnopere est, praesentibus ora-  
tionibus maiestatis vestrae cohortatus, ut ad  
eas, quae inter vestram maiestatem, atque  
ipsum intercedunt, controversias, ea forma  
compromissi, una cum serenissimo prin-  
cipe Ferdinando, et arbitris utrinque adiun-  
ctis, ac in demortuorum locum adiungendis, co-  
gnosendas, iam nunc tempus ac locum de-  
signaremus. Quamvis igitur graves, ac pe-  
ne inextinguibiles cura ac negotia regnorum  
nostrorum nos undique hoc tempore impe-  
diant, ne tamen per nos stitisse videatur,  
quominus haec tanta lis dirimi, et deside-  
rata tot annis concordia inter maiestatem  
vestram et magistrum Prussiae, firmari po-  
tuerit, visum nobis est, ut ad proximum  
festum Epiphaniae Domini, reverendissi-  
mus dominus cardinalis Salaburgensis, ac  
illustris Saxoniae dux, quos idem princeps  
Ferdinandus arbitros sibi adiunctos habet, cum  
his quos consensu vestra maiestatis in locum

revere.

reuerendis simorum Thomae cardinalis, et Geor:  
gii archiepiscopi Stigoniensis, substituemus,  
Posonium conueniant, mittantur maiestatis  
vestrae, et ipsius magistri Borussia orato:  
res cum mandatis et facultate amplissima,  
cum quibus liceat secundum formam com:  
promissi tractari et concludi, aut saltem  
de prorogandis induciis agi. Et si quid ta:  
le inter tractatus occurrerit, quod nostram  
et eiusdem domini archiducis praesentiam  
videatur exposcere, etiam nos atque ipse prin:  
cipo Ferdinandus, illuc nosmet ipsos con:  
feramus, hortati sumus ipsum principem  
Ferdinandum, ut omni quo poterit studio  
et auctoritate perficiat, ut ii domini Sale:  
burgensis et ducis Saxoniae, ad constitutum  
diem Posonium venire non grauentur. Ve:  
stram quoque maiestatem hortamur et ro:  
gamus, ut oratores suos cum mandato et  
facultate velit in tempore capere. Nam  
quod ad magistrum Borussia attinet, aut se  
uenturum, aut oratores missurum coram re:  
cepit ac spondit. Habemus autem, si ma:  
iestati vestrae libitum fuerit, reuerendissimum  
dominum Vladislauum archiepiscopum Stigo:  
niensem primateum Hungariae, supremum can:  
cellarium nostrum, ac magnificum comitem  
Ambrosium Sarkan iudicem curiae nostrae,  
viros prudentissimos et amicos veritatis, ma:  
iestatis autem vestrae seruitores obsequen:

fissimos

267

tissimos, quos in demortuorum locum com:  
modissime surrogemus, aut quosvis ex sub:  
ditis nostris alios, qui maiestati vestre vi:  
debuntur. Hæc quamvis hortatu etiam seren:  
issimi domini archiducis ita à nobis  
decreta sint ac constituta, longe tamen  
erit: sive temporis, sive communium re:  
rum conditionem et statum spectemus et  
consultius, ut maiestas vestra, sicuti per  
alias literas nostras optavimus, ad induci:  
as diuturniores consentiat. Quidquid ta:  
men constituerit, rogamus ut nos in tem:  
pore artiores velit efficere.

Tusius pluribus hæc et alia, quibus  
tractandis ac decernendis interfuerunt, ex:  
plicabunt nostro nomine vestre maiestati,  
reverendus dominus Andreas Cicius epi:  
scopus Premisliensis, et magnificus domi:  
nus Joannes Witwieski castellanus Blo:  
ansis, oratores sui.

Agimus autem maximas gratias ve:  
stre maiestati, quod eos vel in tantis oc:  
cupationibus mittere ad nos voluerit, fue:  
runt enim nobis in multis rebus adiuven:  
to, nihilque ab eis est prætermissum, quod  
ad oratores graves, prudentes, fideles, atque  
industrios pertinet.

Optamus vestram maiestatem valere  
felicissimam, cui nos et omnia nostra plu:  
rimam commendamus. Datum Buda die

tertia

tertia Novembis, anno Domini millesi:  
mo quingentesimo vigesimo quarto, regno:  
rum nostrorum anno nono.